

Augustin Balthasar von

**Programma, Quo Rectore Magnificentissimo ... Domino Adolpho Friderico IV.
Duce Megapolis Regnante ... Occasione Festi Salutiferæ Incarnationis Jesu
Christi, Prærogativas, Inde Humano Generi Præ Angelis Conciliatas, Pie
Meditandas Civibus Academicis**

Gryphiswaldiæ: Typis Struckianis, [1753]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1861529929>

Druck Freier  Zugang





N. N. — 2 (137.)

17. Balthasar, progr. ad diss. Heybergii, de iure usus in census-
su creditorum J. Lubenig. in eadem classe integre adjudicantis.
18. Balthasar progr. ad diss. de Paltenii, de favore depositi.
19. Balthasar progr. ad diss. Heyeri, de remissione in mercedis
in locatione praediorum rusticorum abingens damnum et
luc. pecuniarum conductori contingens.
20. Balthasar progr. ad diss. ~~Heybergii~~ Schuffelii, de successione
ab intest. et iur. Lubenig.
21. Balthasar, progr. ad diss. Balthasari, de origine fluminum
in genere, praecipue oblatorum in pomerania horumque in
dale.
22. Balthasar, de poena adulterii.
23. Wytphul et Balthasar de Severissimo decem pomeraniae
meritis in rem literariam.
24. Balthasar de intellectus facultatibus ad voluntatem Dei spi-
ritus sancti ductu componendis.
25. Balthasar, de voluntate ad Angelorum Sanctitatem.
26. Balthasar, de iustificatione non physica sed personae ad
dictum resurrectionis Christi pie celebrandum.
27. Balthasar de electificatione spirituali.
28. Balthasar de diebus gentium tutelariibus ex antiquitate quae-
dam.
29. Balthasar en, et quatenus illud restauratae humanae
salutis medium ratione investigari possit.
30. Balthasar, de lucis religiosis.
31. Balthasar, de linguae usu et abusu morali.
32. Balthasar, progr. ad Ristum archangelis procreati
michaelis.

PROGRAMMA,
QUO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
ADOLPHO FRIDERICO IV.

DUCE MEGAPOLIS REGNANTE,
PRINCIPE VANDALÆ, SVERINI ET RACEBURGI, COMITE SVERINENSI,
TERRARMM ROSTOCHII ET STARGARDIÆ DOMINO &c,
ORDINIS SERAPHINI COMMENDATORE
NEC NON AQVILÆ ALBÆ EQVITE.

OCCASIONE
F E S T I
SALUTIFERÆ INCARNATIONIS
JESU CHRISTI,
PRÆROGATIVAS, INDE HUMANO GENERI
PRÆ ANGELIS CONCILIATAS,
PIE MEDITANDAS
CIVIBUS ACADEMICIS
PROPONIT SEDULOQVE COMMENDAT

AUGUSTINUS DE BALTHASAR,
*J. U. Doct. & Prof. Ord. Facult. Juridicæ Senior atque Decanus,
Regii Consistorii Director, Academiæ jam Pro-Rector
& Sacri Cæsarei Palatii Comes.*

GRYPHISWALDIÆ TYPIS STRUCKIANIS.

33

PROGRAMMA
DUM
RECTOR MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINO
ADOLPHO FRIDERICO IV.

DUCE MEGALOTIS REGNANTE
PRINCIPIS VANDALIS, SVERINI ET RACERUOL, COMITE SVRENSIS,
TERRARUM RETHORIS ET STANGARDIE DOMINI &c.
ORDINIS SERENISSIMI COMMENDATORIS
NEC NON AQUALIS ALIAE TITULI

OCCASIONE
F E S T I
SALUTIFERAE INCARNATIONIS
JESU CHRISTI,
PREROGATIVAS, INDE HUMANO GENITRI
PRAE ANGELOS CONCILIAS,
PRAE MEDITANDAS
CIVIBUS ACADEMICIS
PROFICIT SEDULOGUE COMMENDAT

AUGUSTINUS DE BALTHASAR,
J. U. D. & Prof. O. J. Facult. Juridicae Senior, aequo Decano
Rector Collegii Divini, aequo Sen. pro-Rector
G. Sen. aequo Sen. pro-Rector

GRATISWALDIAE TYPIS STRUCKMANNI



Nuper de ANGELO RUM prærogativa præ hominibus, & qua ratione hos ad illorum exemplum vitam componere deceat, differuimus. Jam, quædam de generis humani prærogativa præ Angelis, ex nativitate Christi ipsi conciliata, delibare, temporis ac instituti ratio postulat. Ipse Apostolus PAULUS, a Spiritu sancto inspiratus, prærogativam generi humano præ Angelis vindicat eamque amplissimis verbis evehit atque extollit in *Epist. ad Ebræos Cap. II. vs. 14. sq.* inquit: *Quemadmodum pueri carnem & sanguinem habent, & ipse (Christus) participavit de iisdem, Inprimis vero vs. seq. 16.* ubi expresse comparisonem inter Angelos hominesque instituit, sic concludendo: *Nusquam Deus assumpsit Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum,*
a 2

quo propitiaret delicta populi. Egregia sane nulloque pretio æstimanda verba. Apostoli ad exemplum eodem quoque argumento usi fuere Patres primitivæ ecclesiæ, & inter illos JOHANNES CHRYSOSTOMUS, simili modo ex eo, quod Christus homo natus, naturæ humanæ prerogativam contendens, quando in *Homilia III. Cap. I. Epist. ad Ephes. Tom. V. p. 883.* sequentem in modum commentatur: *Cogitemus, cujus capitis sumus corpus, cui omnia sunt subiecta. Hoc exemplo nos Angelis oportet esse meliores & Archangelis majores, ut, qui iis omnibus honore sumus præpositi. Non Angelos adprehendit Deus, sicut dicit scribens ad Hebræos, sed semen Abrahamæ. Non principatum, neque potestatem, neque dominationem, neque ullam aliam virtutem, sed nostram naturam adprehendit. Præter hunc & alii ex Scholasticis idem argumentum, scriptis suis tetigere, at, non una semper eademque ratione illud tractarunt. Nos, vestigiis sancti Apostoli stricte inhærentes, pias quasdam meditationes, huic festo diei convenientes, in medium proferemus & in usum nostrum convertemus.*

CHRISTUM, generis humani redemptorem, verum Deum esse, a Patre suo coelesti ab æterno genitum, splendorem gloriæ suæ & figuram substantiæ ejus, per quem fecit hoc universum & omnia secula, quemque heredem constituit universorum, & qui portat omnia verbo virtutis suæ, i. e. per se ipsum, sedens ad dextram majestatis ejus in excelsis, late & plane divina facundia evicit *Apostolus* hac ipsa *Epistola ad Hebræos, integro Capite I.* Unde incomprehensibile fit mysterium: *Deum natum esse hominem*; id quod superat omnem captum hominum atque Angelorum, qui desiderant illud introspicere, *1 Petr. I. 13.* Quo majus autem hoc est mysterium, & quo major fuit necessitas, hoc, nec alio modo, salutem perdi-

perditam restaurandi: (1) eo sane major generi nostro accrescit honor ac gloria, quod Christus, in tempore a virgine Maria natus, nostram carnem, naturam ac indolem induerit. Non itaque Christus *Φαντασινόν*, seu imaginarium, habuit corpus, vel ex coelo delatum, vel utcumque ex elementis compositum; (2) sed verum ac naturale, ex Mariæ, Virginis pudicissimæ,

a 3

- (1) Patrum nonnulli in eam ingressi sunt sententiam, quod statuerint, potuisse Deum & alia ratione salutem hominum consulere, quod autem filium suum miserit, sapientiæ ejus fuisse conveniens. Audiamus ATHANASIUM in *Orat. III. contra Arrianos, Tom. I. oper. p. 428.* hunc in modum respondentem: *Poterat etiam sine ullo adventu Christi, solummodo loqui Deus & solvere maledictionem. Ceterum spectandum est istic, quid hominibus sit utile, non quid in omnibus rebus situm sit in viribus Dei.* Cui adsentitur AUGUSTINUS in *Lib. de Agone Christi Cap. XI.* inquiens: *Sunt autem stulti, qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem & nasceretur ex femina, & a peccatoribus omnia ista pateretur. Quibus dicimus: poterat omnino, sed, si aliter faceret, similiter vestra stultitiæ displiceret.* Verum, unicum saltem hunc modum necessarium testatur s. Scriptura, *Psaln. XLIX. 8. 9. Frater non potest quemquam redimere, nec Deo quemquam placare. Nimum enim exigitur pro redemptione animæ ejus, & omittet illud in æternum.* Immo, ipse Salvator hoc nos condocet, quando *Luc. XXIV. 26.* Discipulis suis dicebat: *Nonne oportebat hæc pati Christum, & ingredi in gloriam suam.* Ideoque a priori sententia recedunt nostrates, qui post lapsum hominis necessarium omnino fuisse statuunt, *Christum fieri hominem.* Qua de re videri poterit etiam post fata sua magni illius Theologi JENENSIS, JO. FR. BUDDEI, *Meditatio sacra, de aucta per incarnationem Christi humani generis dignitate.* Jen. 1724. proposita & collectioni ejus meditationum sacrarum, Jen. 1724. in 4. editæ, ultimo loco adjecta.
- (2) Horum tam Docetarum, quam Manichæorum ac Valentinianorum errores refellit laudatus BUDDEUS in *Institut. Theol. dogmat.*

simæ, substantia, mediante obumbratione ipsius Spiritus sancti, *Luc. I. 35.* id assumfit. Quod, qua substantiam, formam, (3) habitum, indolem ac sensationes corporeas a nostro nequaquam fuit diversum; ut expressa verba adducti loci Paulini ad *Ebræ-*

L. IV. C. 2. §. 44. & in *Disp. de heresi Valentiniana*, quæ addita *Introductioni ad historiam Philosophiæ Ebræorum p. 594.*

(3) De forma corporis ac faciei externa, sive imagine, Christi multum fabulantur eruditi, maxime quibus fabulas venditare proprium est, Pontificiæ religioni addicti. Extat Epistola sub nomine LENTULI, quæ formam Christi & vultum ejus depingit; illam autem supposititiam esse, jam dudum doctissimi viri demonstrarunt. V. JO. ALB. FABRICII *Codicem apocryphum novi Testamenti P. I. p. 301. sq.* Tres diversæ hac de re sunt opiniones. Quidam, Christum ab omni pulchra forma destitutum fuisse, adfirmant, in nixi descriptionibus ejus, quam facit ESAIAS *Cap. LIII. 2. & 3.* Inter quos ex antiquioribus est CLEMENS *Alexandrinus*, TERTULLIANUS & reliqui. Alii Christo pulcherrimam ac præstantissimam faciei formam tribuunt, idque præcipue ex *Psal. XLV. 3.* probare intendunt; Quam opinionem inter alios defendit celeb. FECHTIUS in *sp. Disp. sub Præs. SEB. SCHMIDII de forma faciei Christi.* quæ extat in *EJUSDEM Noctibus christianis p. 359. sq.* Denique alii, mediam amplectentes sententiam, arbitrantur, Christum nec ullo modo deformem, nec tamen longe præ ceteris mortalibus formosum fuisse. Cujus opinionis strenuus propugnator est FRANC. VAVOSSOR, in *Lib. de forma Christi dum viveret in terris a. 1669.* edito. contra quem disputavit FECHT *all. l. Ast.* cum S. Scriptura non clare atque expressè tradat, qualem faciei formam Christus repræsentaverit, nec de ista certi quid definiiri poterit, & sic saltem in probabilitate hic acquiescere debemus; quæ duce, illorum sententia palmam meretur, qui pulchram eidem tribuunt formam, quoniam pulchritudo inter corporis virtutes ac perfectiones refertur; hisce autem Christum, omnis peccati expertem, præ aliis excelluisse, omnino credibile est. Judicante ita summe rev.

Ebr. eos II. 17. nec non ad Philipp. II. 7. innuunt; dum in omnibus, praterquam quod a labe peccati fuerit immunis, nobis

Dno. WALCHIO in *Historia ecclesiast. novi Testam. Sec. I. C. I. §. 17.* ubi in notis plures Autores, qui de hoc argumento commentati sunt, congefſit.

Nec quoque hic præterenda est fabula de imagine illa, ab ipſo CHRISTO, dum faciem abstergeret, veſtimento vel ſudario impreſſa, colore nullo adhibito, quam ipſe Chriſtus ad ABGARUM, Edeſſæ Regulum, miſit; ubi aſſervata fuit, donec, obſeſſa urbe Romani Imperat. copiis, incolæ Edeſſeni traditione hujus imaginis, Conſtantinopolin transmittendæ, obſidionem redemerint; quorſum etiam a. 944. hæ reliquiæ ſolemni pompa in Templum SOPHIÆ, & bellis etiam hic locorum ingruentibus, Dei providentia Romam translatae fuere, ubi in hunc uſque diem in Titulo St. SILVESTRI ſumma cum religione coluntur. Quas nugæ refellit SPANHEMIUS in *Hiſt. eccleſiaſt. Novi Teſt. Sec. X. p. 1445. ſq.*

Alia adhuc circumfertur fabula de imaginibus Chriſti ac Mariæ, quas LUCAM, Evangeliftam, artis pictoriæ peritum, pinxiſſe fertur; quarum celebratiſſima eſt illa imago Servatoris noſtri, quæ Romæ monſtrari ſolet, ac laudatur velut opus à LUCÀ coeptum & ab Angelo ad finem perductum. Sed cuncta hæc, ut aperte falſa, a prudentioribus & ab ipſis Pontificiis cordatioribus agnoſci, refert Ven. WALCHIUS *c. l. §. 45. not. 2.* ubi etiam Scriptores, hoc argumentum tractantes, recenſet.

Hiſce fabulis aliam addamus, de tabula, quæ hic locorum in templo, Divo JACOBO dicato, ſuper altare impoſita exſtat, quæ exhibet Chriſtum cum diſcipulis ſuit menſæ accumbentes & Paſcha comedentes, quæ imago Chriſti eleganter depiſta, ab iſta, quæ LUCAM agnoſcit Autorem, & Romæ aſſervatur, deſumpta eſt; Verum & hæc traditio pertinet ad fabuloſa iſta tempora Papatus; Miramur ſaltem incitiam pictoris & incuriam Cleri, hanc picturam ſuo tempore probantis, quæ loco agni paſchalis in patina, menſæ impoſita, ſubſtituit porcellum.

nobis factus fuit similis. Vid. ad *Ebr. IV. 15.* In hac ipsa figura corporis humani fidelibus veteris Testamenti non una vice apparuit, & ab ipsis cognitus fuit. Nullibi in Sacra Scriptura extat locus, quod vel prima, vel tertia persona divinitatis in figura corporis humani apparuerit, vel corpus humanum assumerit. (4) Sed Deus Pater, primis parentibus in Paradiso, cum semet severum legislatorem ac judicem ipsis exhiberet, per vocem tonitruantem, *Gen. III. 8.* Moyfi, tempore latae legis in monte Sinai ad colloquium cum Deo evocato, non minus apparuit sub tonitru vocis, in caligine nubis & in igne. *Exod. XIX. 9. 26. XXIV. 15. sq. XXXIII. 9.* Nec quoque Spiritum Sanctum unquam in forma hominis assumpta, potius sub figura columbae, *Matth. III. 16. Marc. I. 16.* vel ignis, aut flammae lambentis *Act. II. 3.* semet patefecit; Salva-

- (4) Equidem Propheta DANIELIS per somnum vidit Deum, personam senis repraesentantem, *Cap. VII. 9. 12.* Sed haec visio nullam infert assumptionem corporis, qualem cernimus in Christo, fidelibus apparente, vel in tempore nato. Ideoque Deus severe populo Judaico interdixit, sub nulla fictione imaginis sibi Deum repraesentare. *Exod. XX. 4. Deut. IV. 23. V. 8.* quales fictiones & hodiernum merito improbamus. Formam tamen Christi depingere, quoniam hic humanam formam in corpore gestavit, nil quidem illiciti tecum fert, merito tamen, etiam ab ejusmodi picturis abstinendum esse, censeo; quoniam partim ob similitudinem, quam cum aliis hominibus, quandoque pessimis nebulonibus, habere possunt, ludibrio, partim autem miseræ plebeculae superstitioni & scandalo esse possunt; prout ejusmodi picturis, ut *Ecce! homo*, quæ Christum sub tormentis & castigationibus; vel etiam *Crucifixis*, quæ Christum in cruce pendentem, repraesentant, in Papatu contingere, quotidie cernimus. Conf. de hac materia CHRIST. WILDVOGELII D. de *venerabili signo Crucis. Cap. II. §. 6.* ubi etiam passim de abusu signi Crucis, in primis apud Pontificios, disserit.

Salvator autem mundi, quoties apparuit fidelibus, hoc factum in figura hominis, ejusque corporis forma ac facie, quam deinde in tempore natus repræsentavit. Sic apparebat ABRAHAMO *Gen. XVII. 1. XVIII. 2. 13. 17. 22.* JACOBO, cum quo luctabatur, *Gen. XXII. 24. 28.* JOSUÆ *Cap. V. 13. 14.* & aliis quamplurimis (5).

Numne itaque insignis est prerogativa generis humani, quod Salvator noster haud dedignatus fuerit, assumpto corpore humano, fidelibus veteris Testamenti sese manifestare eoque fidem eorundem eo magis firmare ac stabilire? Major autem omnino ac sane immensa est gratia, quod in plenitudine temporis per nativitatem suam verum corpus humanum induere

b

&

(5) Non tam vero videtur simile, quam potius in ipsa veritate fundatum, Christum illa ipsa corporis forma, qua deinde nasci voluit, fidelibus pristini foederis apparuisse; Hoc ipsum enim ipse idigitat Salvator, quando *JOH. VIII. 56.* dicebat: ABRAHAM, *pater vester exultavit, ut videret diem meum; & vidit, & gavisus est.* Hoc non tam ita accipiendum, ac si ABRAHAM certissime confiderit promissioni divinae, Christum in tempore fore nasciturum, & sic, fide certissima innixus, mente sibi conceperit diem Christi natalem; sed & ex singulari Dei gratia isto honore gavisus est, ut Christum in ea corporis figura, qua in tempore natus fuit, suis oculis præsentem viderit. Conf. *Chr. Starckens Auszug des N. Test. ad h. l.* ibique *cit. DD.* Idem & contingeat MOYSI, Hic in monte Sinai, cum faciem Dei videre non poterat, *Exod. XXXIII. 20.* oculis tamen suis videbat præeuntem omnem bonitatem ac gloriam Dei; *c. l. VI. 19. 22. & 23.* qua nil aliud significatur, quam Christus in carne assumpta; prout ipse Megalander LUTHERUS hoc ita explicat, in *Glossa marginali ad hunc locum*, verbis: *Über es ist alles von Christo gesagt, welcher soll erscheinen in der Menschheit hernach, wenn Moses Reich ein Ende hätte; Indeß soll Moses im Fels stehen, und den verheissenen Christum sehen.*

& cum eodem majestatem suam divinam conjungere, & sic Deus & homo nasci, & per 30 annorum lapsum, & quod excurrit, in hoc mundo obambulare, voluntatem patris sui hominibus ore tenus prædicare & opus redemptionis mortali-um in carne perficere voluerit.

Hoc ipso, profecto, novus accrescit generi humano splendor ac fructus incomparabilis, quod nempe corporali modo frater cognatusque noster factus fuerit, prout ipse Apostolus ad *Ebreos II. 11.* hac phrasi utitur: *Qui enim, in-quiens, sanctificat* (i. e. Christus) *& qui sanctificatur* (qui sunt homines) *ex uno* (scil. ADAMO) *omnes descendunt,* (Christus nempe secundum humanam suam naturam) *propter quam causam non erubescit eos fratres suos appellare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Ex jure autem fraternitatis, quod cum Christo habemus commune, etiam simul jus filiationis cum patre nobis agnatum est. *Ipsè enim Spiritus nobis dat testimonium, nos esse Dei filios,* inquit Apostolus *ad Rom. VIII. 16.* Quanquam autem Angeli non minus liberi Dei dicendi sunt, intuitu creationis atque confirmationis eorundem in bono; Immo etiam, homines alio sensu, scil. spiritali, liberi Dei dicuntur, *Psal. CX. 3. Esa. VIII. 18. LXVI. 6. Hos. I. 10. Gal. III. 26.* Hoc tamen hi præ illis habent præcipui, quod & propriiori significato ex carnali cognatione cum Christo, & ex jure fraternitatis cum ipso, liberi Dei dicantur. Ubinam autem unquam legimus, Deum Angelos nominasse liberos suos & Christum fratres suos. Ex hac, a Christo per nativitatem suam nobis parta, gloria merito generi nostro humano præ Angelis omnibusque creaturis, quæ in coelo & in terra sunt, sua constat prerogativa.

Quid

Quid itaque putatis, CIVES OPTIMI, quantone honore genus humanum fuerit maclatum, quod Christus, Salvator mundi, hoc ipso corpore suo, quod nativitate assumfit, in coelum ascenderit, ibique corpore suo sedeat ad dextram Dei & regat omnia. *Talem siquidem habemus Pontificem*, inquit Apostolus ad *Ebræos VIII. 1. qui consedit in dextra throni Majestatis in coelis, & qui interpellat pro nobis. ad Rom. VIII. 34.* cujus majestatis regiae ac summæ pontificalis dignitatis fideles jam quodammodo in hac vita sunt participes, qui vocantur & sunt *genus illud electum, regium sacerdotium, sanctus ille populus, populus & fors Dei. 1 Pet. II. 9.* & olim excellentiori modo participes reddemur. *Apoc. III. 21.*

Denique, quantone cedit honori generi humano, quod Christus salvator noster olim, tempore extremi judicii, in eodem isto corpore humano, quod per nativitatem hic assumfit, quod secum in coelum evexit, nobis appariturus sit judex hujus universi, cinctus corona seniorum populi sui, *Esa. III. 14.* & stipatus infinita multitudine Angelorum *Matth. XXV. 31.* & omnium Sanctorum *2 Thess. I. 7. 10.* ubi de facie eum cognoscemus, *Matth. XXIV. 30. XXVI. 64. Marc. XIV. 62?* Audiamus Apostolum, JOHANNEM, *1 Epist. III. 2.* qui non satis pro merito hanc prærogativam extollere valet, quando dicit: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus; scimus autem, quod, cum apparuerit, similes ei fuerimus, quoniam videbimus eum, sicut est.* Et, quæ prærogativa, quod sancti in die extremi judicii, majestatis Servatoris sui quasi participes, mundum & Angelos istos malos judicare debeant. *1 ad Corinth. VI. 2. 3.* Ubinam hæc unquam de Angelis prædicata invenimus? qui ministrorum officia hic explebunt. *Matth. XIII. 49. XXV. 31. 1 Thess. IV. 16.*

Hæ prerogativæ omnes, CIVES CHARISSIMI, ex salutari Christi nativitate, cujus sanctam anniversariam memoriam hoc die solenni recolimus, nobis enatæ sunt; Quales quantique egregii fructus redundabunt in nos, si modo curatius istas, prout decet, animo perpendimus. Innumera ac ineffabilia ex singulis harum in genus nostrum humanum effluunt emolumenta atque commoda.

Primum omnium, ex quo omnia reliqua desluunt, nobis exhibet Apostolus in *dicto nostro ad Ebr. II. 14.* a causa finali hujus incarnationis Salvatoris nostri deducit, scilicet: *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, i. e. Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Et porro vs. 17. Ut fiat fidelis Pontifex ad Deum, qui repropitiaret peccata populi.* Hæc ipsa quidem causa tristem memoriam primi lapsus Protoplastorum & per hunc deperditum statum pristinae felicitatis in mentem nobis revocat; At, Deo fit laus, salva res; per incarnationem enim Jesu Christi, filii Dei unigeniti, ejusque justitiam ac sacrificium, quod amara sua passione Deo in ligno crucis obtulit, nos sacro postliminii jure in integrum sumus restituti. Hanc ipsam amissi juris refarcitionem per futuram filii sui assumptionem carnis nostræ benignissimum Numen mox post lapsum in Paradiso primis parentibus jam annunciavit. *Genes. III. 15.* huic Evangelio fidem dederunt omnes Patriarchæ, & hoc ipso omnes credentes fuerunt salvati. Non poterat itaque non gloriosum hoc redemptionis opus aliter, ac mediante ista incarnatione Christi peragi; (6) qui

(6) Ridenda hic Scholasticorum quorundam cohors, quæ filium Dei humanam assumptionem fuisse carnem somniant, si vel maxime humanum genus in peccata non fuisset prolapsum. Nec quoque fa-

qui, ut Deus & homo, inter utrumque arbitrum ageret. Nul-
lam itaque aliam ob causam Salvator noster humanam induit
naturam, quam ut redemptionis officio secundum voluntatem
patris sui recte fungeretur; Unde etiam in ipsa conceptione
ipsi jam inditum fuit nomen JESU. *Matth. I. 21.* Ideo
agnus Dei audit, tollens peccata mundi. *Joh. I. 29.* expiatio
non tantum pro nostris, sed totius mundi peccatis. *1 Joh. II. 2.*
Immo, ideo apparuit filius Dei, ut opera Diaboli destrueret,
dicit JOHANNES *1 Epist. III. 8.*

b 3

Per

cimus cum iis, qui ex incarnatione Christi colligere volunt, lapsum
Protoplastorum necessarium fuisse, ut eo magis appareret gratia
& gloria Dei, indeque inferentes: mundum hunc vitii plenum
preferendum esse mundo hujus experti. Quin immo, Deum non
potuisse non mundum, in quo mala sunt, producere, eo, quod ille
melior sit altero, in quo nihil malorum deprehenditur; Sapientia
enim divina esse conveniens, id quod melius est eligere. Quos
refellit supra laudatus b. BUDDIUS in *all. Meditat. sacra.*
Aliud enim est, quod Deus fieri ex præscientia sua prævidit, aliud
quod ex decreto, vel consilio, fieri intendit. Quemadmodum &
constat, Deum pessima quævis in bonum finem vertere posse.

Abstinemus etiam merito ab inutilibus istis quæstionibus re-
centiorum quorundam Physicorum, ad minimum nil certi hic de-
terminare audemus; qui, plures mundos statuentes & miriades in-
colarum Lunæ ac singulorum planetarum ac stellarum sibi fingentes,
hac ratione quæstionem movere solent: Num & istorum regnorum
incolæ peccatis polluti fuerint, & si ita sit, num & Christus in eo-
rum gratiam sit natus ac pro iis satisfecerit? Rationes, quibus
sententia vel probabilitas eorum innititur, in eo latent, quod non
credibile sit, Deum ejusmodi ingentia corpora, quæ singula terram
nostram magnitudine sua longe superant, vacua creasse, cum ad re-
cipiendos incolas æque ac nostra terra apta sint; Faceret itaque
omnino ad eo magis manifestandam gloriam Dei, si & hæc cor-
pora incolis repleta statuamus. Debile sane argumentum; quasi

Per hanc salutis plenam nativitatem CHRISTI nobis, ut supra audivimus, acquisitum est jus fraternitatis cum Christo, & sic quoque filiationis cum Deo; Hæc adoptio, quæ jure sanguinis orta, instar plenæ adoptionis, nobis omnia jura familiæ & jus] successione tribuit. Sic enim Apostolus ad Rom. VIII. 17. argumentatur: *Quod si sumus filii Dei, sumus etiam heredes; heredes quidem Dei; Coheredes autem Christi.* Et porro vs. 32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit. Quidni etiam cum illo omnia nobis donaret?*

Qua sanctissimum numen ad glorificandum nomen suum ope creaturarum indigeret. Deus hunc finem non aliter, nec in aliis creaturis intendit, quam ipsi secundum immensam suam gratiam placuit. Jam autem nullum vestigium invenimus, Deum ad hunc finem obtinendum plures mundos, vel mundorum incolas procreasse; quæ itaque necessitas nos impelleret ad credendum: Deum, ad eo magis glorificandum nomen suum plures mundos creasse? Minus sane ponderis habet illud argumentum, quod obvertunt, non credibile esse, tam vasta ac immensa corpora, cum quibus tellus nostra ne comparanda quidem est, in hujus gratiam & ad ejus incolarum usui inserviendum solummodo creata esse. Quis hic gratiæ voluntatiq[ue] divinæ limites ponet? Hac ratione sequeretur, ne ullum quidem vacuum in hoc universo, ne quidem in centro terræ dari, quod non creaturis rationabilibus, in majorem Dei gloriam adimpletum sit; Et, quasi Deus non multo majora in gratiam unius alteriusve hominis concesserit beneficia, dum pro redemptione Adami ac Evæ, quos alias facile annihilare potuisset, filium suum unicum nasci ab eoque gravissimum redemptionis opus suscipi, benignissime voluerit. *Quidni cum eo omnia nobis donaret?* potiori jure ratiocinatur Apostolus ad Romanos VIII. 32. Vereor sane, ne illa ratiocinia, quibus isti homunciones in promovendam gloriam Dei uti sibi persvadent, ad destruendam potius eam convertenda sint.

Qua porro fiducia, quid putatis, O MEI, hunc nostrum fratrem, summum istum Sacerdotem, precibus nostris compellere possumus? qui misericors fuit ac fidelis Pontifex ad Deum; qui repropitiavit delicta populi, & carne nostra indutus, omnibus quoque istis ærumnis ac afflictionibus, quibus in hac vita premimur, ipse tentatus fuit; cum vero potens est, & iis, qui tentantur, auxiliari; sunt ipsissima verba Apostoli ad Ebræos II. 17. sq. IV. 5.

Quantone sacro zelo ipse nostram causam aget coram Patre suo? qui adhuc dum unam carnem nobiscum gestat in cœlis, sedens ibidem ad dextram patris sui; qui jam tum, cum hic in vivis esset, tam enixe pro suis precatus fuit, *Job. XVII. v. 24.* Patrem suum allocutus est: *Pater! Volo, ut illi mecum sint, quos mihi dedisti, ut videant Majestatem meam, quam mihi dedisti.* Qui caput est Ecclesiæ ac cujusvis corporis nostri. *1 Cor. XI. 3. Eph. IV. 15.* Jam autem caput nunquam derelinquet membra sua, quod non eadem secum trahat, ut ipse Salvator noster se facturum promisit. *Job. XII. 32.*

Quane cum fiducia jam extremum diem, quo omnes homines mortui resuscitati, una cum vivis, *1 Thess. IV. 15.* iusto Dei judicio subjicientur. *Apoc. XX. 11. sqq.* expectare, eoque adveniente nostro Salvatore obviare & ejus gratiæ nos committere poterimus? qui ipse est de carne & sanguine nostro, qui nos fratres appellat, & re vera frater noster est, quod carnem nostram assumsit. Quo cum tripudio occinemus cum choro Angelorum ac Sanctorum illud Alleluja; quo omne cœlum resonabit, *Apoc. XIX. 1. sq.* & illud trisagium *Esa. VI. 3. Apoc. IV. 8.* Excitabimus nos ad mutuas Psalmodias: *Tempore accepto exaudivit nos & in die salutis adjuvit nos. Ecce!*
nunc

nunc dies adest salutis! 2 Cor. VI. 2. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni. Apoc. XIX. 7. Hanc spem, hanc fiduciam unice ex salutifera incarnatione Salvatoris nostri capimus, nec præter eam ulla spes salutis superest.

O! nos felices, terque quaterque beatos! qui ita salvificam nativitatem CHRISTI oculis animi intuemur, & prærogativas, quæ inde humano generi, etiam præ Angelis obvenere, curate ac sedulo perpendimus fructusque inde obvenientes nobis appropriamus. Perpendite, CIVES DILECTISSIMI, quicquid ex nativitate Christi & ejus in tempore facta assumptione carnis nostræ, dignitatis aut prærogativæ generi nostro oritur, id omne tantum ad credentes in Christum atque electos pertinere. Immo, tantum abest, ut ad impios commodi quidquam aut ornamenti ex incarnatione Christi redundet, ut potius hi, beneficium hoc flocci pendendo, eo severiori futuræ semet exponent castigationi.


Agite itaque, O MEI! consumite non tantum dies festos, huic nativitati Salvatoris vestri sacros, sed omnes dies vitæ vestræ, piis hisce meditationibus, quarum præter ea, quæ vobis in mentem jam revocare volui, latissimus patet campus. Studete, ut sic filii Dei sitis genuini, & ut fratres Salvatoris vestri, omnium tandem felicitatum cum ipso fiatis coheredes.

P. P.
GRYPHISWALDIÆ
IPSO FESTO NATIVITATIS CHRISTI.
AN. MDCCLIII.

33. Matthaeus, pragae. cum Regis dno Rudolphi quondam Christi.
34. Matthaeus, pragae. cum Regis dno Rudolphi. Christi.
35. Treiber, de excusatione Senestrarum, cum Praeside Cuiusvisque.
36. Treiber, de clausula codicillari.
37. Tresenreuter, de his qui heredes institui prohibentur.
38. Trues, de superstitionis conditoribus et propagatori-
bus.
39. Trues, de iurisdictione in iuris naturalae doctrina.
40. Trues, de decore gentium circa belli initia.
41. Trues, de auctoritate et fide gentium et reipub.
Hinc Credit dno Rudolpho suo Praeside.
42. Tribbechovius de commerciis.
43. ——— ——— ——— ———
44. Trier, de iure stipulae civitatis Francofurtanae ad Viadrum.
45. Trier, de officio Ordinarii in academiis.
46. Troppanneger, de potestate electorum et principum im-
perii circa ius nobilitatis subditis suis conferendis.
47. Troppanneger, de dote non promissa praestanda.
48. Troppanneger, de momento temporis.
49. Helis, an fideicommissarius suavisior rerum sibi com-
missariorum dominus sit, proptereaque rem ex venditi-
one aut permutacione rei fidei commissae subjectae ac-
quisitam licet fuerit, a possessore inter medio gravato, post-
modum alienata nihilominus tanquam rem sibi com-
missae subjectam, a tertio possessore vindicare possit.

50. Helis, de ^{jure} separatione in concursu Creditorum et utrum
 hoc jus in Salsatia superiori etiam post quinquennium locum
 habeat.
51. Helis, quousque parentibus licitum sit liberis suis hereditatem de-
 trahere et quid ad voluntatem parentum maxime unocupati-
 nam probandam requiratur?
52. Helis, si quis nomen cesarum sub condit. evictianis acceptet, an
 et qualem actionem habeat accipiens, adnegat. eundem periculo existi-
 te: et c.
53. Helis, in quantum et quibus modis uxor pro marito valide se obliga-
 re queat? et quid hac in re cum primis in Salsatia superiore sit
 juris?
54. Helis, quousque superstes conjux, altera parte defuncta in bono-
 rum suppressione defendi, eaque ipsi competere queat?
55. Helis, an facti cum tertio contrahentis beneficio divisionis
 gaudeant?
56. Hoffmann. De origine, progressu et natura juris prudentiae
 criminalis germanicae.
57. Hoffmann, de revocatione testamentorum ex juris germanici
 principis explicata.
58. Hoffmann de coemeteriis ex archibus tollendis, non vbi. P. 1. 1. 1.
 von Gotta. Kaden. vñl. dau. Nüdtan.
59. Hoffmann. de communicatione bonorum conjugum non nata
 re atque principis.
60. Hoffmann, de jure separandi allodium a fundo
61. Hoffmann, de donationibus propter nuptias.
62. Hoffmann, de jure consuetudinis.
63. Hoffmann, de die ac nocte nuptiali, non vbi. Goy. 1. 1. 1.
 vñl. von Grottnast.

64, Hoffmann, nuptiarum secundarum tempora. in nuptiarum
hinc non iam modum Ep^o P^onitae L^ou^o.
65. Hoffmann, observationes quaedam testamentariae.



...ies adest salutis! 2 Cor. VI. 2. Gaudeamus & exultemus,
gloriam ei, quia venerunt nuptiae agni. Apoc. XIX. 7.
... hanc fiduciam unice ex salutifera incarnatione
... nostri capimus, nec praeter eam ulla spes salutis

...terque quaterque beatos! qui ita salvificam
... TI oculis animi intuemur, & praerogati-
vas, quae quodammodo generi, etiam praeter Angelis obvenere,
curate adhaerendum fructusque inde obvenientes
nobis apprehendite, CIVES DILECTISSIMI,
quicquid ex vestri & ejus in tempore facta assump-
tione carnis nostrae aut praerogativa generi nostro
oritur, id omnino spectantes in Christum atque electos
pertinere. Insuper est, ut ad impios commodi
quidquam aut ornamenti ratione incarnatione Christi redundet,
ut potius hi, beneficii participando, eo severiori
futuram semet exponant

Agite itaque, O MEI! tantum dies festos,
huic nativitati Salvatoris vestri omnes dies vitae
vestrae, piis huiusmodi meditationibus praeter ea, quae
vobis in mentem jam revocare debent, ut patet cam-
pus. Studete, ut sic filii Dei huiusmodi ut fratres
Salvatoris vestri, omnium tantum
cum ipso fiatis coheredes

P. P.
GRYPHISWALDIAE
IPSO FESTO NATIVITATIS
AN. MDCCLIII.

